66 Ultimo dico, ſi is uſufructus relictus ſit tempore novitiatus, utendum eſſe eadem diſtinctionem numeri præcedentis. Præterquam quod in dubio; cum enim novitius poſſit ſibi acquirere, ac religionem deſerere, crederem in dubio præſumi relictum contemplatione ipſius, ac ſubinde ipſius perſonam ſequuturum.

SUMMARIUM.

An uſusfructus paternus in adventitia filii bona extinguatur profitente patre in religione incapaci ſuccedendi? num. 67.
Quid ſi eſt religio capax refertur triplex ſententia? num. 68. & 69.
Explicatur ſententia Auctoris, & ſolvuntur contraria? num. 70.
An id ſit verum in bonis majoratus, in quem ſuccedit filius, & monaſterium, in quo profeſſus eſt pater retineat illum uſumfructum? num. 71.
An ſi majoratus ſit talis, in quem non poteſt ſuccedere monaſterium per patris illum obtinentis profeſſionem, extinguatur uſusfructus? Et quid ſi ille majoratus eſſet filii, & pater aut filius profiterentur? num. 72.
An ſi pater in ſæculo filium emanciparat, dimidia pars uſusfructus, quam in præmium emancipationis retinebat, extinguatur per patris profeſſionem? num. 73.
An uſusfructus legitimæ filii tranſeat quoque in monaſterium per patris profeſſionem? num. 74.
An extinguatur uſusfructus patris profeſſi filio ducente uxorem? num. 75.
An pertineat ad monaſterium uſusfructus adventitiorum, quæ pater poſt profeſſionem acquiſivit? num. 76.
An ſi monaſterium ea bona filii non adminiſtret, teneatur ſolvere adminiſtrationis pretium? num. 77.
Quid de uſufructu, quem habet parens tranſiens ad ſecundas nuptias, in bonis, quorum perdit proprietatem, & ea pertinent ad filios, an amittatur is uſusfructus patre, aut filio profitente ſive in religione capaci, ſive incapaci ſuccedendi: & quid ſi hic prius patre obeat? num. 78.

67 QUæſtio ultima, An uſusfructus paternus in adventitia filii bona expiret ipſius patris profeſſione, & pertineat ad filium; an potius tranſeat ad monaſterium toto tempore vitæ paternæ, ſicut alii uſusfructus tranſeunt. Et quidem quando religio eſt ſuccedendi incapax, expirabit ea profeſſione, & in poſterum pertinebit ad filium, ſicut de aliis uſibusfructibus diximus *num.* 53. Et quod ibi diximus de votis in Societate JESU emiſſis, eſt quoque in hoc caſu dicendum, quia eadem eſt ratio.

68 Quando autem religio eſt ſuccedendi capax, eſt triplex ſententia. Prima ſuſtinet eum uſumfructum extingui profeſſione patris, & ex tunc pertinere ad filium. Ducitur, quod id diſcriminis ſit inter uſumfructum paternum, & alios, quia hi acquiruntur ex hominis diſpoſitione uſufructuario ad nullum miniſterium aſtricto, ſed dumtaxat, ut fruatur prudenter, quod meliùs præſtabitur in religione, quam extra: ille autem comparatur ex legis diſpoſitione ratione patriæ poteſtatis, cum onere adminiſtrandi peculii filiorum *l. cum oportet* C. *de bon. quæ liber.* Ergo ceſſantibus patria poteſtate, & facultate adminiſtrandi bona, ut paterna profeſſione revera ceſſant, extinguetur ille uſusfructus. Nec obſtat poſſe ea bona per religionis miniſtros adminiſtrari. Quia jus ſoli patri hanc adminiſtrationem, & ratione illius uſumfructum conceſſit, fidens magis paternæ, quam alienæ adminiſtrationi, ut optimè tradit *Tiraquellus l. ſi unquam in præfat. numer.* 29. *Cod. de revocand. donatione.* Secundo, quia juxta veriorem ſententiam, quam hoc libro ſupra amplexi ſumus, eſt, ſtatim ac pater profitetur, tradenda legitima filio: at ea eſſet filio inutilis, ſi uſusfructus apud monaſterium remaneret. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent *Martin. Syllan.* Doctor antiquus quem referunt *Cynus authent. idem eſt, in princip. quæſt.* 2. *Cod. de bonor. quæ liber. & ibi Albericus num. unic. Salycetus numer.* 1. *idem Salycetus authent. ſi qua mulier numer.* 2. *quæſt.* 3. *Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. & authent. ingreſſi num. penult. quæſt.* 7. *Cod. eodem titul. ubi Jaſon. numer.* 48. *Hippolyt. ſingul.* 668. *num.* 3. *Bernardus Diaz regul.* 749. *numer. unic.* dicens enim uſumfructum acquiri monaſterio, ſubdit limitando, ut limitat *Jaſon* proximè allegatus, qui limitat præterquam in uſufructu paterno. *Additionator ad Decim. cap. in præſentia in nova editione numer.* 256. *verb. extinguatur de probat. Boerius deciſ.* 198. *in fine. Roſella in ſumma verb. donatio* 1. *numer.* 44. *Covar. capit.* 2. *numer.* 9. *de teſtament. Gregorius Lopez*, licet aliquantulum dubius; *l.* 5. *verb. el uſofructo titul.* 17. *part.* 4. *Riminaldus* §. 1. *numer.* 128. *inſtitut. per quas perſonas nobis acquirend. Marquechus de diviſione bonor. libr.* 4. *capit.* 4. *numer.* 32. *Fachineus in controverſ. juris libro* 6. *cap.* 12. *verſ. ego puto. Meres de majorat. in* 1. *editione* 2. *parte quæſt.* 3. *num.* 14. *Mendez l. cum oportet* 2. *parte num.* 131. C. *de bon. quæ liber. Cevall. in ſuis quæſtionib. communib. quæſt.* 64. *num.* 4. *Caſtillo de uſufructu lib.* 1. *cap.* 64. *à num.* 8. *uſque ad finem. Benedictus Ægidius l.* 1. *parte* 4. §. 2. *num.* 11. *uſque ad* 19. C. *de ſacroſanct. Eccleſ.*

69 Secunda ſententia ſuſtinet, dimidiam illius uſusfructus paterni partem pertinere ad monaſterium, reliquam autem dimidiam ad filium. Ducitur, quod patre emancipante filium ita dividatur uſusfructus *leg. cum oportet ſexto* §. *ſin autem Cod. de bon. quæ liber.* At pater profitens in religione, facto ſuo emancipat filium, cum per ejus profeſſionem liberetur à patria poteſtate: ergo ſolam dimidiam uſusfructus partem, quæ ad patrem emancipantem pertinere debebat, retinebit monaſterium. Hanc ſuſtinent *Bartolus authent. idem eſt, in princip. numero ſecundo* Cod. *de bon. quæ liber. & ibi Angelus numero primo Abbas capit. in præſentia numero* 57. *de probationibus, & ibi Bart. numer.* 123. *Mantua ibi numero* 69. *Angelus in ſumma verb. religioſus numero* 50. *Sylveſter verb. religio* 6. *quæſtione prima dicto primo Armilla verb. religio numero* 20. *& ibi Tabiena quæſtione* 33. *numer.* 34. *Gomez Arias l.* 56. *Tauri paulo poſt principium, Riminaldus* ſibi contrarius §. *hoc quoque à nobis num.* 19. *inſtit. perſonas nobis acquir. Lælius Zecchius de Republica eccleſiaſtic. tit. de regularib. capit.* 3. *num.* 14. *ampliat,* 3.

70 Tertia ſententia (cui tamquam probabiliori accedo, quamvis utraque præcedens ſatis probabilis ſit) ait uſumfructum nequaquam extingui, nec diminui, ſed totum pertinere ad monaſterium toto paternæ vitæ tempore. Ducitur, quod nulla ſit commoda differentiæ ratio inter uſumfructum paternum, & alios. Si ergo alii uſufructus tranſeunt ad monaſterium, tranſibit ſimiliter paternus. Nec obſtant rationes contrariæ. Nam ad priorem adductam *numero ſexanteſimo octavo* reſpondetur, non eam adminiſtrationem eſſe ſolam hujuſmodi conceſſionis uſusfructus rationem, ſed favorem quoque paternum; & ideo ceſſante adminiſtratione, non ceſſat uſusfructus: eo vel maximè, quod per miniſtros monaſterii id adminiſtrandi munus obiri poterit, nec eſt neceſſarium, ut equè bene, ac per patrem obiretur: ſicut pater in perpetuam amentiam incidens minimè uſufructu privatur, quamvis adminiſtrandi bona incapax ſit. Poſteriori rationi ſatisfiet *numer.* 74. Nec obſtat etiam ratio adducta *numero præcedenti*, quod ea dimidia hujus uſusfructus pars concedatur patri in præmium beneficii ab ipſo per emancipationem in filium collati. At in hoc eventu pater nullum filio beneficium contulit. Nam principalis ejus intentio, quæ in unoquoque actu ſpectanda eſt, non fuit filii emancipatio, ſed profeſſio: ex qua profeſſione jus patriæ poteſtatis non facto beneficio, ſed legis diſpoſitione ſolvitur. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent *Gloſſa authent. idem eſt, in princip. verb. lege* C. *de bonis, quæ liber. & ibi Fulgo. num.* 3. *Bartol.* ſibi contrarius *authent. ingreſſi in* 2. *lectura numer.* 49. C. *de ſacroſanct. Eccleſ. Paulus authent. excipitur, in princip. num.* 7. C. *de bon. quæ liber. & ibi Baldus numer.* 3. *in fin. Jacob. Butrigar. in fine, Decius capit. in præſentia, in nova edition. num.* 256. & 257. *de probation. & ibi Pariſius numer.* 163. & 164. *Berojus à numer.* 530. *uſque ad numer.* 532. *Bartholemeus Socinus conſil.* 10. *numer.* 20. *libr.* 1. *Alexander conſil.* 139. *num.* 5. *lib.* 2. *Crottus l. gallus* §. *& quid ſi tantum num.* 20. *ff. de liber. & poſthum.* Cepol. *conſil.* 21. *num.* 4. *in civilibus, Navarr. comment.* 2. *num.* 38. *de regularibus, Antonius Gomez l.* 48. *Tauri num.* 8. *ad fin. & ibi Cornejo in additio. Menchaca de ſucceſſ. progreſſ. lib.* 1. §. 1. *numer.* 46. *Cavalcan. de uſufruct. mulier. relict. numer.* 141. *Pinell. l.* 1. *parte* 1. *à numero* 49. *Cod. de bonis matern. Salzedo addit. ad reg.* 794. *Bertrand. Diaz numero unico, Perez l.* 1. *titul.* 2. *pag.* 103. *libr.* 5. *ordinamenti.* Caldus *l. ſi curatorem verb. læſis, à numer.* 140. *Cod. de integr. reſtit. Tapia d. authent. ingreſſi verb. ſua cap.* 17. *num.* 7. *Matienzo libr.* 5. *recopilat. titul.* 1. *l.* 9. *gloſſ.* 2. *numer.* 2. *Spino ſpecul. teſtament. gloſſ.* 4. *rubricæ numer.* 16. *& gloſſ.* 12. *principali numero* 32. *Guttierez quæſt. canonic. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 100. *Molina tomo* 1. *de juſtitia diſput.* 9. *ad fin. & diſputione* 140. *columna* 4. *verſ. an vero uſusfructus, Neonardus libr.* 2. *de juſtit. capit.* 41. *dub.* 10. *num.* 83. *Azor tomo* 1. *inſtitut. moralium libr.* 12. *capit.* 8. *quæſtione* 2. *& tomo* 2. *libr.* 2. *capit.* 22. *quæſtione* 4. *Sayro in clavi regia lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 9. *Rebell. tract. de juſtit. p.* 2. *lib.* 1. *quæſt.* 8. *ſect.* 6. *num.* 64. *& p.* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 7. *ſect.* 2. *num.* 21.

71 Quæ quidem ſententia extendenda eſt, ut etiam habeat locum in bonis majoratus, in quem ſucceſſit filiosfamilias, quorum fatentur omnes patrem conſequi uſufructum, quem quidem ſemel jam acquiſitum pater non amittet per profeſſionem, ſed ille pertinebit ad monaſterium quandiu pater vixerit; & ita tenet *Tapia eodem capit.* 17. *nu.* 8. & debent ſuſtinere omnes Doctores allegati *num. præcedenti*, cum indiſtinctè de uſufructu loquantur, nec ſit ſpecialis ratio de hoc.

72 Hinc deducitur primo, patre obtinente majoratum, in quem non poteſt ſuccedere monaſterium (qualis eſt, qui juriſdictionem annexam habet, ut Comitatus, Marchionatus, Ducatus; vel à quo ab inſtitutore excluditur monachus, ut inferius dicemus) ubi primùm pater profeſſus fuerit in religione, non poſſe monaſterium potiri fructibus illius majoratus, ſed omnes illos una cum majoratu pertinere ſtatim ad ſequentem vocatum, quia in patre nullus erat uſusfructus formalis, ſed ſolus cauſalis concomitans proprietatem; id eſt, nullus erat productus uſusfructus ſeparatus à dominio proprietatis, qui dicitur formalis, ſed erat ſolus uſusfructus productus à dominio proprietatis, exiſtens in ipſomet patre proprietatis domino, qui eſt individuus proprietatis comes, & dicitur cauſalis. Cum ergo per profeſſionem ceſſet proprietas majoratus, ceſſabit quoque uſusfructus ille cauſalis ipſam concomitans. Et contrà autem, ſi filius in illum majoratum ſucceſſerat, & conſequenter pater illius uſumfructum comparaverat, non amittetur per ſubſequutam patris profeſſionem, ſed retinebit illum uſumfructum monaſterium, quamdiu pater vixerit, quia uſusfructus ille formali ſemel productus in patre à proprietate majoratus perſeverare in filio, non perditur patris profeſſione, ſed tranſit ad monaſterium, juxta dicta *numero præcedenti*, quamvis juriſdictionis adminiſtratio tranſire nequeat, ſed maneat in filio. Si tamen filius ille profiteretur in religione, ac ſubinde majoratus ille tranſiret ad ſequentem vocatum, perinde ac morte ipſius tranſiret, conſtat uſumfructum paternum extingui, ſicut majoratus filii extinguitur, quia in eo eventu vocatus eſt ab inſtitutore ſequens ſucceſſor, ut plenè quoad omnia in majoratum ſuccedat. At ſi majoratus talis eſſet; qui profeſſione religionis non amitteretur, ſed maneret apud monaſterium, retineret adhuc pater uſumfructum, dum ſuperſtes fuerit, ſicut retinet in cætera filiifamilias profeſſi adventitia, & mortuo patre pertinebit ille uſusfructus ad monaſterium, dum vixerit monachus.

73 Secundò deducitur, dimidiam uſusfructus partem, quam pater ſæcularis emancipans filium comparaverat in emancipationis præmium, juxta *l. cum oportet.* §. *penult.* C. *de bon. quæ liber.* non amitti per profeſſionem patris poſtea ſubſequutam, ſed pertinere ad monaſterium, quia eadem eſt ratio de hac uſusfructus parte, ac de toto uſufructu, ita docet *Jaſon authentic. ingreſſi numero quaranteſimooctavo C. de ſacroſanct. Eccleſiis*, & idem docere debent omnes Doctores allegati *numero ſeptuageſimo*. Nec quos *Jaſon* in contrarium allegat, dicunt contrarium, ſed ſolum tractant de veritate ſecundæ ſententiæ allegatæ *numero* 69. nempe, an pater profitens amittat dimidiam uſusfructus partem, ſicut amitteret per emancipationem, an potiùs totum uſumfructum retineat?

74 Hæc tamen ſententia principalis tradita *numero* 70. ut uſusfructus paternus in adventitiis filii tranſeat ad monaſterium, limitanda eſt primò, ut retenta opinione dicente, legitimam ſtatim, ac pater profitetur, tradendam filio, quam amplexi ſumus ſupra, intelligatur de aliis bonis præter filii legitimam: nam juxta Doctores id dicentes, dicendum eſt neceſſario, eam cum uſufructu illi tradendam; alias illi eſſet inutilis, nec alimentis poſſet deſervire, qui finis ejus legitimæ tradendæ eſt. Sed ſecus eſt dicendum, juxta ſententiam dicentem nec legitimam tunc tradendam. Atque ita docent *Menchaca de ſucceſſion. progreſſ. libro primo,* §. *primo, numero* 48.

75 Secundò temperatur, ut is uſusfructus in adventitiis filii, & majoratu duret quamdiu pater vixerit, niſi in hoc Caſtellæ regno interim filiusfamilias ad matrimonium tranſeat, & recipiat Eccleſiæ benedictiones. Nam ſicut in hoc regno pater exiſtens in ſæculo, ſtatim amitteret totum uſumfructum, & ad filium pertineret, juxta legem regiam *Tauri* 48. quæ hodie eſt lex 9. *tit.* 6. *libro* 5. *recopilationis*, ita eo profeſſo monaſterium illum amittet, utpote quod non major jus, quam pater comparat. Et ita docet *Molina tomo* 1. *de juſtitia diſput.* 9. *ad finem, & diſputatione* 140. *colum.* 2. *verſ. an verò uſusfructus*. Et hoc eſt certum.

76 Tertio temperatur, ut procedat in bonis adventitiis filiofamilias acquiſitis ante profeſſionem paternam; quia, cùm a profeſſionis paternæ tempore filius non ſit ſub patris poteſtate, non acquirit pater uſumfructum in bona poſt illam à filio acquiſita, & conſequenter nec monaſterium. Sic *Molina ea. diſputatione* 6. *ad fin. & ea. diſputatione* 140. *colum.* 5. *verſ. hoc tamen fundamento.*

77 Ultimo intellige, dummodo ſi monaſterium, aut pater ea bona filii non adminiſtret, perſolvat pretium adminiſtrationi neceſſarium: quippe cum hoc onere is uſusfructus ad patrem pertinebat.

78 Tandem dubitatur de lucro delato filiis prioris matrimonii ob tranſitum parentis ad ſecundas nuptias, qui quidem acquirunt proprietatem bonorum, quæ parens ille habuit ex bonis conjugis defuncti, & totus uſusfructus reſervatur parenti illi, dum vivit, ut latè explicui *libro* 7. *de matrimonio tota diſputatione* 89. Dubium ergo eſt, an patre, aut filio tranſeuntibus ad religionem, amittatur hic uſusfructus, aut hæc proprietas. Et quidem dicendum eſt, filio tranſeunte ad religionem, monaſterium ſuccedendi capax ſolam proprietatem illius lucri acquirere, qualem filius ille habebat, uſufructu manente apud patrem, dum vivit: ſicut idem contingeret filio manente in ſæculo. Sic allegatis *Ruyno, Boerio, & Bellon.* tradit *Cavalcanus deciſione prima, numero quinquageſimotertio parte* 3. Quod ſi filius ille priùs obeat, quam parens ille, qui ad ſecundas nuptias tranſiit, proprietas illa conſolidatur cum uſufructu illo parentis, illaque privabitur monaſterium. Quia quamvis eſſet illi acquiſita, id non erat omnino perfectè, ſed revocabiliter, ſi filius ille ante parentem decederet; & eo ſic decedente proprietas illa non pertinet ad alios fratres, nec ad filii illius hæredes, & conſequenter nec ad monaſterium, ſed ad patrem, qui uſumfructum habebat, ut probavi *libro* 7. *de matrimonio diſputatione* 89. *numero* 22. & tenet in propriis terminis *Cavalcan.* alios referens *eadem deciſ.* 1. *à numero* 57. *uſque ad* 62. refertque ſic lite mota fuiſſe quinquies judicatum contra monaſterium. Similiter e contra parente profitente in monaſterio capaci, retinebit monaſterium eum uſumfructum, dum parens ille vivit: quod ſi filius præmoriatur, pertinebit quoque proprietas ad monaſterium; ſicut pertineret ad patrem manentem in ſæculo: quia hujuſmodi monaſterium ſuccedit in omnia jura profeſſi. Quod ſi monaſterium ſit incapax ſuccedendi, ſi filius ſit is profeſsus, conſolidabitur proprietas cum uſufructu paterno à die profeſſionis: & ſi parens ſit is, qui profitetur, uſufructus pertinebit à tempore profeſſionis ad filium proprietarium, quia hæc contingerent morte naturali parentis, & filii. At illa profeſſio reputatur ac mors naturalis.

CAPUT XIV.

Qualiter tranſeat ad monaſterium juſpatronatus, jus nominandi ad emphyteoſim, petendæ renovationis ejuſdem, jus retractus ratione ſanguinis competentia in ſæculo religioſo.

SUMMARIUM.

Jus præſentandi, aut eligendi competens monacho, ut parti alicujus collegii, an tranſeat ipſo profeſſo ad monaſterium? n. 1.
Quid ſi pertineret jure ſingulari? n. 2.
An primogenito patrono profitente tranſeat jus patronatus ad ſecundogenitum: & quid quando erat perſonale? n. 3.
An monacho conſtruente, aut dotante Eccleſiam, juſpatronatus tranſeat ad monaſterium? n. 4.
Quid ſi religio ſit ſuccedendi incapax, aut ſit Societatis JESU? n. 5.
An id juſpatronatus extinguatur perſona monachi, & eo tranſlato ad aliud monaſterium, tranſeat cum illo? n. 6.
An ſit ſolius Abbatis abſque conſenſu conventus præſentare? n. 7.
An ſit valida præſentatio à ſolo Prælato? n. 8.
An jus inſtituendi competens Epiſcopo, aut alii Prælato tranſeat in monaſterium cum illo jurepatronatu, n. 9.
An ſi monachus, cujus erat juſpatronatus, præſentaret virtute illius, valeat præſentatio? n. 10.
Quid ſi præſentaret, aut eligeret abſque ſuperioris licentia, ex poteſtate ſibi à patronis, aut electoribus tradita an valeat? refertur quædam ſententia. n. 11.
Sententia Auctoris. n. 12.
An exigatur licentia quando electores, aut patroni concordant ut is præſentetur, aut eligatur, quem monachus elegerit? n. 13.
An jus nominandi ad emphyteoſim pertinens ante ingreſſum religionis perſeveret in novitio, aut in eo, qui emiſit vota biennii in Societate JESU? n. 14.
Quid de profeſſis in ordine Minorum, an illis competat id jus, ac revocandæ nominationis factæ? Refertur quædam ſententia, num. 15.
Explicatur ſententia auctoris, & quid de profeſſis & formatis coadjutoribus in Societate JESU? n. 16.
An hoc jus nominandi tranſeat ad monaſterium ſuccedendi capax, & tranſlato monacho ad aliud monaſterium, tranſeat cum illo, & eo mortuo pereat? n. 17.
An officium publicum, ut tabellionis &c. quod indiget renunciatione intra certum tempus facta ante mortem, ut perdatur, amittatur ea renunciatione non facta ante id tempus tranſactum, à tempore illius uſque ad profeſſionem in ordine Minorum, ſed tranſeat uſque ad mortem naturalem? n. 18.
Quid ſi non renunciavit ante profeſſionem, an poſſit poſt illam? n. 19. 20. *&* 21.
Quid ſi eſſet novitius, aut ligatus votis biennii in Societate JESU? n. 22.
Quando poſſit renovatio emphyteoſis peti? n. 23.
An poſſit profeſſus eam petere, aut monaſterium ejus nomine? num. 24.
An retractus ratione ſanguinis competat profeſſo in ordine ſuccedendi incapaci, aut monaſterio ejus nomine? n. 25.
Quid quando eſt capax ſuccedendi? n. 26. *&* 27.
An monaſterio vendente rem illam monachi ad vitam, competat proximiori conſanguineo jus retractus? n. 28.
An hoc retractus jus competat religioſis, qui ſola biennii vota emiſere in ſocietate JESU? n. 29.
Quid de novitiis? n. 30.

1 QUatuor difficultates, eaſque breves involvit præſens quæſtio, quæ ſuo ordine enodandæ ſunt. Prima difficultas eſt de jure patronatus, ſeu præſentandi, quod in ſeculo competebat monacho, an profeſſo tranſeat ad monaſterium? Et quidem, ſi illud præſentandi jus, aut eligendi competebat monacho jure collegii, aut communitatis alicujus, non tranſit ad monaſterium, ſed eo profeſſo deperditur, quia deſinit eſſe pars illius communitatis. Et ſic docent *Gloſſa c. beneficium verb. conferendum in addition. de regular. in* 6. *& ibi Joan. And. Dominicus n.* 6. *ad fin. Francus n.* 3.

2 Si autem pertineat jure ſingulari, tunc tranſit in monaſterium, quippe id ſuccedit in omnia monachi jura. Atque ita docent *Gloſſa, Joan. And. Dominic. & Franc. allegati n. præced. Lambertin. de jurepatronatus lib.* 2. *p.* 1. *qu.* 2. *art.* 11. *n. ult. Flor. de Mena Addit. ad Gamam. deciſ.* 6. *n.* 2. *conſ.* 6. *& lib.* 1. *variarum q.* 16. §. 2. *n.* 5. *Manuel qq. regular. tom.* 2. *q.* 122. *art.* 2. Et ideo jure optimo dixerunt *Imola leg. cum pater* 79. §. *hæreditatem, el* 1. *n.* 5. *ff. de legat.* 2. *& ibi Baldus n. unico, Salycetus l.* 1. *n.* 6. *C. de hæred. inſtit.* jus eligendi non amitti per ingreſſum religionis.

3 Quare non approbo, quod tradunt *Bellamera conſ.* 33. *Tiraquel. de jure primog. q.* 3. *n.* 11. ubi tradunt jus patronatus pertinens ad primogenitum ex fundatoris diſpoſitione tranſire ad ſecundogenitum, primogenito profeſſo in religione. Et ita jure optimo contrarium tenet *Manuel allegatus num. præced.* & conſtat ex omnibus Doctoribus ibi allegatis. Quare horum doctrina, ut vera ſit, eſt intelligenda de monaſterio incapaci ſuccedendi juxta ea, quæ dicemus *n.* 5. vel quando juspatronatus eſſet annexum majoratui illius primogeniti, & majoratus eſſet ejus naturæ, ut vel ex fundatoris voluntate, vel alia ratione non tranſiret in monaſterium per primogeniti poſſeſſionem: tunc enim velut annexum majoratui tranſiret cum majoratu in ſequentem ſucceſſorem. Vel tertio, quando ex fundatione jus patronatus eſſet ita perſonale, ut apertè conſtaret ex inſtitutoris voluntate, ut nullo modo tranſiret ad monaſteria.

4 Et ſimiliter ſi monachus ædificaret, vel dotaret Eccleſiam ex legitima licentia, juspatronatus non ipſi, ſed monaſterio acquireretur, cujus ſunt omnia, quæ monachus acquirit. Sic *Lambertin. de jurepatronatus lib.* 1. *part.* 1. *quæſt.* 8. *art.* 9. *num.* 7.

5 Intellige autem, quando religio eſt incapax ſuccedendi, quando enim eſt incapax, cum in nulla monachi bona ſuccedat, non ſuccedit quoque in juspatronatus, quod in ſæculo habebat, ſed id tranſibit ad ſequentem ſucceſſorem. Et ita bene *Manuel quæſt. regul. tom.* 2. *qu.* 122. *art.* 12. dixit, juspatronatus tranſire ad monaſterium ſuccedendi capax. Similiter per ſimplicia coadjutorium formatorum vota in Societate Jeſu tranſiret juspatronatus ad ſequentem ſucceſſorem, non autem per ſimplicia biennii vota, ſed jus præſentandi maneret in ipſo religioſo, ſicut de jure nominandi ad emphytheoſim dicemus *n.* 14.

6 Atque id juspatronatus ſit perſonæ profeſſi annexum, & ratione illius tranſeat ad monaſterium, extinguetur morte illius profeſſi; atque eo translato legitimè in aliud monaſterium, videtur tranſire quoque id jus cum illo tamquam annexum perſonæ, & ratione illius competens monaſterio; & ſi tranſiret ad monaſterium ſuccedendi incapax, profeſſione in eo extingui, ſicut diximus de uſufructu *cap. præced. n.* 63. At id non credo, ſed manſurum in priori monaſterio id jus, quia eſt illi perfectè acquiſitum: nec eſt ſicut uſusfructus, qui quotidie producitur, & eſt perſonaliſſimus. Quare mors illa civilis per profeſſionem ſequentem in poſteriori monaſterio incapaci, non operatur in præjudicium juris illius priori monaſterio acquiſiti juxta ea, quæ diximus ſuprà. Si autem eſſet annexum bonis profeſſi, in quæ ſuccedit monaſterium, ut villæ, aut caſtro, res eſſet abſque dubio. Quia ſicut bonorum illorum poſſeſſio eſſet perpetuo apud monaſterium, ita jus patronatus illi annexum: quare eo profeſſo translato ad quodcumque aliud monaſterium, vel mortuo, jus patronatus perpetuò maneret in priori monaſterio, ſicut & illa bona, quibus eſt annexum, niſi illa bona eſſent majoratus, tunc enim morte, vel profeſſione in monaſterio incapaci tranſiret cum majoratu in ſequentem ſucceſſorem. Atque ideo bene dixit *Manuel quæſt. regul. tom.* 2. *qu.* 122. *art.* 2. non expirare morte profeſſi juspatronatus annexum bonis; ſecus de annexo perſonæ.

7 Et quoties juspatronatus tranſit in monaſterium, nequit ſolus Abbas præſentare, niſi hoc habebat ex præſcripta conſuetudine, vel privilegio, ſed id eſt totius conventus, cujus major pars conſentire debet, ut præſentatio legitima ſit: ut conſtat ex *c. novit. & c. quanto*, & clarius *c. ea noſcitur, de his, quæ fiunt à Prælato*. Et probat *Lambertin. de jurepatronat. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 2. *art.* 12. *n.* 2. & 3. Quod ſi opponatur *c. ex litteris de jurepatron.* ubi *Abbatiſſa* præſentavit; reſpondet bene *Lambertin. eodem n.* 3. ea eſſe verba narrantia, quæ diſpoſitionem non inducunt; vel melius non conſtare ex eo textu ſolam Abbatiſſam præſentaſſe, ſed præſumi id factum legitimè, nempe cum majoris partis conventus conſenſu.

8 Quod ſi præſentatio fieret à ſolo Prælato abſque majoris partis conventus conſenſu, quamvis inter Doctores diſceptetur, utrum præſentatio ſit ipſo jure nulla, an per ſolam ſententiam irritanda. Nam *Hoſtienſ. eo c. ea noſcitur num.* 2. *verb. vacuari & ibi Card. num.* 2. *oppoſit.* 4. dicunt exigi ſententiam, quod is textus non utatur verbo *irritandi*, ſed ſolis verbis; *conſtitutiones hujus modi convenit evacuari*. At verius eſt, eſſe ipſo jure irritam, & ſic ea verba, *convenit evacuari*, explicanda ſunt convenit vacuas pronunciari, ut conſtat ex *c. novit. de his, quæ fiunt à Prælato*, ubi loquens textus de inſtitutionibus ab Epiſcopo factis abſque Capituli conſenſu, ſic ait, *Nos tales conſtitutiones carere decernimus robore firmitatis*: ubi *Gloſſa finalis* explicat eſſe ipſo jure irritas. Et ideo hanc partem ſuſtinent *Goffred.* quem refert, & ſequitur *Lambertin. de jure patronatus lib.* 2. *p.* 1. *q.* 2. *art.* 12. *num.* 6. *verſ. hoc ſic ſtante*.

9 Quamvis autem juspatronatus tranſeat ad monaſterium, & conſequenter jus præſentandi; at jus inſtituendi erit Epiſcopi. Conſtat ex *c. cum ſæculum de jurepatron.* ubi decernitur, jurepatronatus Eccleſiæ parochialis translato in monaſterium, jus parochialis Epiſcopi in illam Eccleſiam nullatenus minui; ubi *Gloſſa fin.* eam rationem reddit, quod non plus juris monaſterio competere valeat, quam habebant illi, à quibus juspatronatus eſt acquiſitum monaſterio. At illi ſolum præſentandi jus habebant, relicto integro jure inſtituendi Epiſcopo competenti. Et ita ſuſtinet aliis allegatis *Lambertin. de jurepatron. lib.* 2. *p.* 3. *qu.* 1. *art.* 16. *num. unic.* qui bene infert idem dicendum eſſe, ſi jus inſtituendi ſpectaret ad inferiorem Prælatum: quippe ea translatio jurispatronatus in monaſterium, minimè illi juri præjudicaret, quia eadem militat ratio.

10 Tandem difficultas eſt, an ſi monachus ille ex cujus perſona juſpatronatus eſt translatum in monaſterium, præſentaret, valeat præſentatio? Et quidem ſi præſentatio fiat ratione juriſpatronatus monacho competentis, manifeſtum eſt præſentationem non valere, quod illud jam non ſit ſuum, ſed translatum in monaſterium. Et ita docent *Lambertin. de jurepatr. lib.* 2. *part.* 1. *q.* 2. *art.* 11. *n. ult.* Quod quidem intelligendum eſt, niſi inſtitutor patronatus expreſſam conditionem appoſuiſſet, ut quamvis patronus ad religionem tranſiret, ille præſentaret: tunc enim jus præſentandi competeret monacho ex ſui Prælati licentia. Quod ſi inſtitutor hanc quoque licentiam excluderet, volens integrum eſſe monacho contra voluntatem Prælati præſentare, reiiceretur conditio tamquam impoſſibilis. Et utrumque benè probat *Manuel q. regular. tomo ſecundo, q.* 122. *art.* 2.

11 Sed difficultas eſt, quando præſentatio, aut electio non competit monacho ratione juriſpatronatus, ſed quod conſtitutus ſit à vero patrono, aut veris electoribus procurator ad præſentandum, aut eligendum, an præſentatio, aut electio facta tunc à monacho abſque Prælati licentia valeant? *Lambertin. de jurepatron, lib.* 2. *p.* 1. *q.* 4. *art.* 7. *n.* 1. refert *Federicum conſ.* 104. dicentem ea non tenere. Et idem tenet, quamvis dubius, & cogitandum relinquens idem *Lambertinus eo art.* 7. *in fin.* Ducitur ex *c. ſi religioſus in fin. principii de delect. in* 6. ubi expreſſè dicitur electionem religioſi conſtituentis abſque ſui Prælati licentia, eſſe ipſo jure irritam: ergo à fortiori nequit validè eligere. Sed idem *Lambertin. eadem part.* 1. *q.* 2. *art.* 11. *à n.* 1. *uſque ad* 9. refert fundamenta *Pauli de Eleazar* pro utraque parte, concludentiſque ea fore valida, quia cum tunc non faciat religioſus nomine ſuo, ſed ejus, qui commiſit, non conſideratur perſona religioſi exequentis, ſed perſona committentis. Quippe is dicitur facere, cujus auctoritate, & nomine res fit. *l. ita tantem.* §. *geſſiſſe ff. de adminiſtr. tutor.* Sed ipſe *Lambertin. ibi nu. ult.* refert ſe ad priorem locum proximè citatum: ubi, ut diximus, ſub dubio tenuit priorem ſententiam.

12 Verum in hac controverſia plus mihi placet hæc poſterior ſententia, ut actus illi valeant, tum ob rationem dictam; tum etiam quia nullo jure irritantur ea à monacho facta. Nec bene ducitur argumentum ab electione paſſiva, quæ irrita eſſet abſque ſuperioris licentia, eo quod monachus eſt incapax juris alicujus proprii acquirendi ad electionem hanc activam, per quam nihil proprii acquirit. Ducor etiam rationibus, & Doctoribus, quibus ſuprà probavi exequutionem teſtamenti factam a quocumque monacho abſque ſuperioris licentia eſſe validam. Quod eſt intelligendum cum duplici limitatione, quam ei doctrinæ ibi appoſui.

13 Tandem concludit *Lambertinus eo art.* 11. *nu. ultim.* quamvis religioſus nequeat ex illa poteſtate ſibi tradita eligere, aut præſentare abſque ſuperioris licentia, poſſe tamen eum id facere abſque licentia, quando patroni, aut electores ipſi concordant, ut is præſentaretur, aut eligeretur, quem religioſus elegerit. Sicut frater Franciſcanus, qui teſtamenti exequutor eſſe nequit, poteſt eligere pauperes, in quos eleemoſina diſtribuatur. Sed ſi intelligat poſſe validè, placet utique: ſi autem intelligat poſſe licitè, non credo. Quia ſatis dubia eſt ſui fundamenti veritas, & licèt illud admittamus, ut admiſimus cum probabiliori ſententia ſupra, at ibi probavimus exigi ſuperioris licentiam, ut licitè fiat.

14 Secunda difficultas eſt, an integrum ſit religioſo nominare ad emphyteoſim, quam ante profeſſionem habebat? Et quidem, ſi ille ſit novitius, aut ſola biennii vota in Societate emiſerit, certum eſt, illi integrum eſſe nominare ad emphyteoſim, quod hi capaces ſint dominii habendi. Et ita ait eſſe certum *Molina tom.* 2. *de juſt. diſp.* 482. *in initio*.

15 Rurſus difficultas eſt de profeſſis in quacumque religione, & de coadjutoribus formatis Societatis JESU, qui dominii habenti incapaces ſunt *Cald. de nominat. emphyteot. quæſt.* 6. *numero* 3. & 4. ſuſtinent, poſſe profeſſum etiam ordinis Minorum nominare ad emphyteoſim. Ducitur, quod ſit quid in ſolo facto conſiſtens. At rerum hujuſmodi eſt profeſſus ordinis Minorum capax, juxta ſententiam illorum, quos ſuprà retulimus, qui aſſerunt licere his profeſſis etiam ordinis Minorum eligere pauperes, quos teſtator eligendos ipſi commiſit, ut inter eos eleemoſynæ diſtribuerentur. Immo, & ſuſtinendo opinionem dicentem hanc pauperum nominationem ipſis eſſe interdictam, ait dicendum eſſe licitam hanc nominationem ad emphyteoſim, quia illa cenſetur interdicta ob avaritiæ ſuſpicionem, & ad amputandam quærendorum temporalium anſam. At per hanc nominationem potiùs abdicat a ſe religioſus bona temporalia, quam acquirit. Et idem *Caldas eadem quæſt.* 6. *numer.* 5. & 6. ait profeſſum in ordine ſuccedendi capaci, qui ante profeſſionem nominarat revocabiliter, poſſe poſt profeſſionem revocare, & iterum nominare alium, vel ipſum monaſterium, ut tempore vitæ ipſius monachi fruatur. Secus

Secus autem ſi ſit profeſſus in ordine incapaci ſuccedendi: quia, cum ea profeſſio æquiparetur morti naturali, cenſebitur ea confirmari irrevocabiliter prior nominatio.

16 Sed jure optimo hanc ſententiam improbat *Molina tomo* 2. *de juſt. diſp.* 482. *col. penult. verſ. utrum autem religioſus*, dicens, nullum cujuſcumque religionis profeſſum, aut coadjutorem formatum Societatis Jeſu poſſe nominare ad emphyteoſim, nec nominationem antea factam revocare, quod verè ſit diſpoſitio de re, ac jure ſuo. At nullum bonorum temporalium jus remanet religioſo poſt profeſſionem. Quod maximè verum eſt ſuſtentando noſtram ſententiam, quam probavimus hoc lib. ſuprà, dicentem nulli profeſſio integrum eſſe revocare teſtamentum priùs factum.

17 Ex his deducitur, hoc jus nominandi tranſire ad monaſterium ſuccedendi capax, niſi ex conjecturis eliceretur electam perſonæ induſtriam, ſeu alia ratione fuiſſe id jus nominandi perſonale. At quando monaſterium eſt incapax, non tranſit, ſicut nec bona alia, quia omnia monachi jura, quæ ſunt hujuſmodi, tranſeunt in monaſterium ſuccedendi capax: ſicut etiam diximus in illud tranſire jus præſentandi, quod non eſt merè perſonale; & ſicut diximus *n.* 6. jus præſentandi finiri morte illius monachi, & translato eo legitimè ad monaſterium ſuccedendi capax, non tranſire cum illo, nec finiri eo profeſſo in monaſterio incapaci; ita dicendum eſt de hoc nominationis jure, quippe utrumque competit ratione perſonæ monachi, & illi eſt annexum.

18 Secundò deducitur reſolutio hujus quæſtionis, an habens officium publicum, ut tabellionatus, ſenatoris, id eſt, *veyntiquatro*, &c. quod renunciatione indiget, ut in alium transferatur, nec ante profeſſionem renunciavit, poſſit poſtea renunciare, aut monaſterium ejus nomine; an potius defectu renunciationis amittatur id officium, & acquiratur Regi? Et quidem, ſi ante profeſſionem etiam in ordine Minorum renunciavit, exiſtimo officium non amitti defectu renunciationis, etiamſi à tempore renunciationis uſque ad profeſſionem non tranſacti ſint dies jure petiti, quibus vivere debeat renuncians, ut renunciatio vim habeat. Quia etſi hæc profeſſio comparetur morti naturali quo ad alios ſucceſſionis effectus, non tamen quo ad hunc, ſed verè dies illi petiti ſunt vitæ naturalis, ut experientia ipſa teſtatur, & cùm res ſit odioſa, & tendat ad officium propriis pecuniis emptum, effectumque jam proprium patrimonium, non eſt extendenda.

19 Si autem non renunciavit ante profeſſionem, conſtat integrum non eſſe ei poſt profeſſionem renunciare in alicujus favorem, ut is ſuccedat in id officium, ſibique illud acquirat, ad quod antea non habebat jus. Quia illud eſt conferre ei officium illud, quod facere nequit religioſus.

20 Sed difficultas eſt, quando renunciatio eo ſolum tendit, ne perdatur officium, ſed acquiratur ei, qui præmiſſa renunciatione erat legitimè ſucceſſurus, eo quod eſt hæres, vel ſi nullus ſit inſtitutus hæres, ut vendatur, & pretium acquiratur monaſterio ſuccedendi capaci, aut ſi ſit incapax, hæredibus ab inteſtato. Et videtur ea renunciatio permiſſa, etiamſi profeſſus ſit in monaſterio incapaci ſuccedendi, quia in ea officia ſucceditur, ſicut in alia illius monachi bona, & debet eorum pretium inter hæredes dividi, & poſſunt vendi. Quare hæredes habent jus ad illa; & renunciatio ſolum requiritur tamquam conditio, ſine qua nequeunt acquiri, & ut tollatur obſtaculum, ne acquirantur Regi. Quare videtur quid merè facti, ſicut de nominatione ad emphyteoſim dixit *Caldas allegatus n.* 15. Et ideo, ſicut dixit quemcumque profeſſum eſſe hujus nominationis capacem, exiſtimo dicturum de hac renunciatione.

21 At exiſtimo, nullius religionis profeſſum, nec coadjutorem formatum Societatis Jeſu poſſe hanc renunciationem facere, nec religionem ſuccedendi capacem nomine illius: atque adeo defectu renunciationis amitti officium, ſicut diximus *n.* 16. non poſſe nominare ad emphyteoſim; quia illud renunciandi jus eſt perſonaliſſimum, & inhærens perſonæ habenti jus ad illud. At omne jus, omneque proprium amiſit religioſus per profeſſionem; & cum nequeat in alium, neque in religionem transferri, niſi media renunciatione, qua deficiente perditur, & redit ad Regem, perdetur utique, & erit Regis.

22 Si autem eſſet novitius, aut ſolis biennii votis aſtrictus in Societate Jeſu, poſſet hanc renunciationem facere, ſicut, & *n.* 14. diximus, poſſe eum nominare ad emphyteoſim.

23 Tertia difficultas eſt, an quando habens rem in emphyteoſim profitetur in monaſterio capaci ſuccedendi, poſſet ipſe, aut monaſterium ex ipſius perſona renovationem emphyteoſis in eo monacho finitæ petere? Ut difficultatis hujus punctus percipiatur, oportet ſupponere, tripliciter poſſe emphyteoſim finiri. Primo finitur propter commiſſum, & culpam emphyteotæ, ut quod malè verſatus ſit in re emphyteotica, vel illam irrequiſito domino alienaverit, vel ceſſarit in canonis ſolutione per tempus lege præſtitutum; & tunc renovatio nullatenus debetur, quippe tunc emphyteoſis eſt omnino extincta, & ille jure ſuo omnino deſtitutus eſt. Secundò finitur caducitate, ut quando conceſſa eſt alicui pro ſe, & filiis, vel deſcendentibus. Atque tunc finitis illis, ceſſat prorſus nulla renovatione debita. Ultimò finitur, quando conceſſa eſt pro generatione limitata, ut uſque ad tertiam generationem, & ea finita eſt. Atque tunc ſi ſuperſunt filii, aut alii deſcendentes poſſeſſoris ultimi, poſſunt renovationem emphyteoſis petere, & cogere dominum directum, ut in eorum perſona emphyteoſim confirmet, aut renovet uſque in tertiam generationem. Atque hæc docet *Caldas de renovatione emphyteot. q.* 8. *n.* 1. & 2. ac multos Doctores allegat dicens eſſe receptam omnium ſcribentium ſententiam: quamvis *Molina tom.* 2. *de juſtit. diſput.* 484. *col.* 7. *à verſ. cæterum arbitror, uſque in finem*, latè probare conetur hanc ſententiam eſſe falſam.

24 Verum ſuppoſita hujus ſententiæ veritate, eſt locus præſenti difficultati: & breviter dico cum *Cald. de renovatione emphyteot. q.* 19. *à n.* 7. *uſque ad* 24. latiſſimè probante id nec monacho, nec monaſterio ex ejus perſona integrum eſſe, nec dominum directum ad id compellendum. Quia ſicut jus retractus, quod proximiori conſanguineo ex ſtatuto defertur, nec monacho, nec monaſterio competit, ut dicemus *num.* 26. ita nec hoc renovationis implorandæ jus, quod proximiori agnato defertur. Ceſſat enim ratio renovationis petendæ, ut de retractu ratione ſanguinis explicabimus eodem *num. & ſequenti*. Quare minus bene aſſerit, & nulla ratione probat, ſed ſola *Anchar.* falsò allegati auctoritate *Tapia authent. ingreſſi verb. ſua c.* 15. *n.* 4. *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* poſſe monaſterium hanc renovationem petere.

25 Ultima difficultas eſt, an retractus ratione ſanguinis competat monacho profeſſo, ut ſi ſtatutum ſit, ut rem immobilem ad vitam, ſive patrimonialem venditam; poſſit proximior conſanguineus eodem pretio tradito venditori retrahere; quale eſt apud Hiſpanos *l.* 13. *regia tit.* 10. *lib.* 3. *fori, & l.* 70. *Tauri*, hodie *l.* 7. *tit.* 11. *lib.* 5. *nova recopilat.* Et quidem, quando ordo non eſt ſuccedendi capax, conſtat hoc jus nec monacho, nec monaſterio ejus nomine competere. Et ita tamquam manifeſtum tenet allegatis *Guillelmo Benedicto, & Caſſaneo, Tiraquel. de retractu lignager.* §. 1. *gloſ.* 8. *n.* 19.

26 At quando monaſterium eſt ſuccedendi capax, videtur poſſe retrahere. Quippe monachus conſervat jura agnationis, & ſanguinis, & ſuitatis, *l. fin. C. de Epiſcopis, & clericis*. Cæterum dicendum eſt, non poſſe retrahere, quod ceſſet ratio retractus, nempe, ne res illa à proprio ſanguine, ſeu genere alienetur: cum monachus non ſibi, ſed monaſterio acquirat. Atque ita docent *Guillelmus Benedictus, & Caſſaneus*, quos referunt, & ſequuntur *Tiraquellus eadem gloſ.* 8. *nu.* 19. *in fine Cifuentes l.* 70. *Tauri, qu.* 15. *& ibi Anton. Gomez nu.* 9. *Cald. de renovat. emphyt. qu.* 19. *nu.* 8. *Azebedo lib.* 5. *recopil. tit.* 11. *l.* 7. *nu.* 26. *& ibi Matienzo gloſ.* 2. *n.* 20.

27 Hinc fit, nec monaſterium poſſe ex perſona monachi retrahere, quia in eo quoque ceſſat ratio retractus, cum monaſterium non ſit de genere, & familia venditoris: immò nec illa res per monaſterium retracta ſit amplius in familiam reditura. Sic tradunt *Tiraquellus nu.* 20. *Cifuent. Anton. Gomez, Azebedo, Matienzo, Cald. allegati num. præced. Alvaradus de conjuctura mente teſt. lib.* 2. *c.* 3. *num.* 4. *Spino Specul. teſtam. gloſ.* 12. *principali n.* 26.

28 Nec monaſterio vendente rem ad vitam profeſſi, admittetur proximior conſanguineus ad retractum, quod cùm res illa deſierit eſſe monachi, translataque ſit in monaſterium, jam è familia, & ſanguine exierit. Et ita docent *Cifuent. ea l.* 70. *q.* 16. *& ibi Anton. Gomez n.* 10. *Peralt. l. cum patronus, n.* 37. *ff. de legat.* 2. dicens ſic conſultum, & lite agitata tribus ſententiis deciſum *Azebedo eadem l.* 7. *nu.* 29. *Matienzo eadem gloſ.* 2. *nu.* 22. *Spino eadem gloſ.* 12. *n.* 25. *in fine Villadiego junior in foro juzgo lib.* 4. *tit.* 2. *in fine*.

29 Idem exiſtimo de religioſis Societatis Jeſu, non de ſolis profeſſis, aut coadjutoribus formatis, quos tamquam incapaces omnino dominii, eſt manifeſtum non poſſe retrahere, juxta dicta *n.* 16. ſed de iis, qui ſola biennii vota emiſere; quia nequeunt ſibi acquirere ad retinendum: & ideo in eis quoque ceſſat ratio retractus, ne res de familia exeat.

30 De novitiis autem re latè diſputata, & multis rationibus in contrarium allegatis optimè concludit *Tiraquell. ea gloſ.* 8. *num.* 39. integrum illis eſſe retrahere, quod non ſint veri religioſi, & poſſint ſibi acquirere; cum tamen ſint in via, ut ſint veri religioſi, dicit optimè *Tiraquell.* ibi, retractum eſſe in pendenti, & cum omni firmitate muniendum, ſi novitius redeat ad ſæculum; diſſolvendum autem eo profitente, quia acquireretur illa res monaſterio per profeſſionem contra ſtatuti mentem. Atque ita bene ait, cautionem eſſe emptori præſtandam de re illa ſibi reddenda, ſi novitium profiteri contigerit, ut in ſimili dicitur *l. cum ſocii, ff. commun. dividun.*